

cionibus, &c. Populi in Patronam suam amorem conservant, & inflammant.

In Suburbis ad S. Udalricum in Templo Parochiali Deiparæ Imago plurimis clara miraculis colitur, quam ante elapsos duos annos in publica Processione multitudine innumerâ comprecantium circumferri, ac ad Templum RR. PP. Ordinis S. Benedicti ad Scotenses portari ipsa vidit Civitas Univerſa.

Alia demum ejusdem Thaumaturgæ Virginis prodigiosa Statua, & per alias nota terras in *Biezing* / non procul à novo Romanorum

Regis Palatio in Templo pro hominum affluentium multitudine nimium angusto conspicitur, quæ à pluribus RR. DD. Canonicis Reg. Claustro - Neoburgensibus Ord. D. Aug. hic habitantibus administratur.

Plures tam intra, quàm extra Civitatem, & singulis propè in Regularium Templis Divinæ reperies misericordiæ, quæ per Matris suæ, aliorumque Sanctorum Icones, & Statuas liberalissimè profundit, argumenta, quæ tamen quia copiosa nimis, ne molestiam causemus Lectori, prætermittimus.



TITULUS VII.

Officina variæ, Campsores, & Aurarii.

Quam communi bono utilitatis, Civitatibus, imò & Provinciis integris splendoris afferant commercia publica, & Mercimonia, testantur adhuc hodie tot Republicæ in florentissimum Statum evectæ, ditata æraria, Principes, & Cives locupletati, ut ob id inutile fore judicarem, si pluribus id ostendere laborarem: vel sola Vienna nostra ad eas provecta opes, & opulentias, eoque conspicua honore, & gloriâ id abundanter ostendit, quam, quodd futuris conservabit temporibus, argumento sunt, tot Mercatorum nobilissimæ officinæ, quot in aliis etiam amplissimis Urbibus vix reperies; nam si eas tantum, quas muri Civitatis includunt circuitu, computemus, numerum sanè non exiguum inveniemus. Introducta autem sunt Mercimonia hanc in Viennensem Civitatem, ut inquit Lazius l. 2. c. 8. an. 1100. quæ tamen ob concessa à Ducibus suis maximè Leopoldo VI. Privilegia varia anno 1200. flores magis, ac magis inceperant, donec ad statum hunc, quo jam ea vigere videmus, pervenerunt. Et, ut ab iis initium faciamus, in quibus merces non quidem per officinas publicas venales quotidie prostant, sed à quibus mercatores cæteri, quibus emptas mensurâ, vel pondere distrahere mos est, ac ulnatim, libratimque divendere, res coëmunt, & quos idcirco vulgus *Wiederläger* appellat, quadraginta & octo numerantur eorum officinæ, una in busto (*Brandstatt*) in foro Judæorum binæ, in *Bienmarck* 4. in aula una, in *Wolzeil* duæ, in inferiore Pistorum platea 3. in plateola S. Crucis 1. in vetere lanionum foro undenæ, 7. in Carinthiaca, in foro alto 1. In aula cui à *Gundl* nomen est, quaternæ, in fossa 1. in aula Kelleriana duæ, in veteri Rusticorum foro octonæ.

Aliæ Mercatorum pannos, sericeasque materias secundum ulnas dividentium officinæ, quas idcirco *Tuchlâden* nuncupant, recensentur in Cœmeterio S. Petri septem, in plateola Virginum binæ, in foro novo 1. in Carinthiaca 15. in foro alto 10. in *Tuchlauben* 8. in foro herbario 12. in foro Carbonario 1. in veteri

re Rusticorum 2. quæ numero suo conficiunt 58. Aliæ in quibus aromata, aliâve distrahuntur, & ob id officinæ aromaticæ dicuntur, diversas per plateas & fora habentur 49. in platea *Wipplingana* 1. in aula 1. in *Haidenschuß* 1. in fossa profunda 1. in Cœmeterio S. Petri ternæ, in plateola, cui à piliatoribus (*Zutstöpfer*) nomen est una, in foro novo itidem una, in *Wolzeil* binæ, binæ etiam in Pistorum inferiore platea, in plateola ad S. Crucem totidem, in lanionum veteri foro non pauciores, in Carinthiaca decem & sex, in foro alto 4. in *Tuchlauben* ternæ, in fossa quinque, in Carbonario foro una, & tandem in veteri Rusticorum foro ternæ. Officinæ eorum, quos vulgari nomine Materialistas compellant, qui res varias pretiosas omnis sortis distrahunt, sunt ad Portam Paulanam 1. in Carinthiaca binæ, binæ item in foro à fossa dicto, & 1. in Cœmeterio S. Petri. Officinæ, ubi res ferro elaboratæ venduntur, & quarum Mercatores ferrarios (*Eysler*) nuncupant, in platea Carinthiaca habentur 13. Librorum officinæ, quibus Bibliopolæ præſunt, tredecim universim per Urbis districtum computantur, in platea à S. Dorothea dicta 1. in busto 1. in claviariorum platea 1. in Cœmeterio S. Petri 1. in *Bienmarck* 2. in plateola pileatorum 1. in Carinthiaca 1. in foro alto 1. in fossa 1. in foro Carbonario 2. intra catenam 1.

Sunt & officinæ aliæ his inferiores propè innumeræ per plateas omnes dispersæ, eorum, qui auro argentoque sericeæ materiæ intertextas res distrahunt 20. qui diversa vestimenta sericea tam acu picta, quàm contexta unâ cum pretiosis ligaminibus vendunt 63. Qui Telæ diversæ sortis monopolia tractant 21. &c. sed hæc omnia attingere potius, quàm fufius enarrare placuit.

Neque hîc prætereundæ sunt officinæ eorum, quæ auro argentoque divites, tam arte, quàm pretio celebres in se continent, rarasque merces; qui iis præſunt, communi voce Argentarii, vel Aurarii (*Gold-oder Silber-Zubliher*) nuncupantur. Primariæ sex recensentur

in foro Carbonario non procul à Porta Paulana, altera propè aulam Cæsaream, tertia in S. Petri Cœmeterio, quarta in foro ab aula antiqua dicto, quinta propè domum Professam ad Serpentem aureum, sexta in via lucida. Continuamus titulum istum referendo domus eorum, quos Campsores nominamus, quorum quia indies ita augetur numerus, ut certus definiri nequeat, eos hic solùm adducemus, qui aliorum opinione habentur celeberrimi, & quorum nomina aliis etiam in Provinciis magis habentur familiaria, & famosa, ut sic nulla ex parte destituamus Lectorem in iis, quæ eum pro Viennensis Urbis gloria summopere nôsse iuvabit. Bini in vetere Rusticorum foro inveniuntur, in fossa unus, in inferiore Pistorum platea alter, alius in S. Petri Cœmeterio, in aula quapiam Föderthof dicta item unus, in Co-

rona Regia (Landskrön) unus, è regione Sancti Stephani unus, alter non procul ab eodem S. Stephano in domo à potu Turcico Cavè celebri, alius aulam Gundelianam, alius Kellerianam, alter demum Ratisbonensem aulam incolit. Tandem ad Titulum istum reducimus domum Monetariam, tum illam, quæ intra Civitatis muros non procul à S. Stephani visitur, tum eam quæ extra muros in Civitatis fossa est sita, in hac argenti, aurique metallum in massam liquefit, & debite ad Monetariam formam recipiendam disponitur, in illa verò ipsa pecunia, eaque tam aurea, quàm argentea efformatur: præ reliquis videre arridet aureorum, Imperialiumque, utpote quorum labor est major, efformatio, licet utrumque non cum exigua delectatione & admiratione intueamur.

TITULUS VIII.

Tribunalia, & Instantiæ diversa.

Quod in Eleganti corpore est variis ex-culta dotibus anima, hoc in augusta & splendidis ædificiis celebrata civitate est Justitia; quemadmodum enim sine illa genarum rosæ in pallorem, labrorum corallia in abominationem, oculorum scintillæ in caliginem, & omnis cultus decor in nauseam mirabili metamorphosi transmutatur, sic sinè hac Magnificencia in contemptum, Majestas in fastidium, tota gloria & splendor cedit in derisum: Quare ne mutilatus, aut nullus esset Viennensis Urbis decor, & gloria; ita commiscuit externam pompam interno regimini, ut adamantino sibi connexa vinculo omnium opinione crederentur, ut vel sic aut falsum esse Poëtarum dicam figmentum, qui justitiam excessisse à terris fabulantur, aut Viennam Cœlum esse, in quo suam Astræa locasset sedem, Vaticino, ut volunt spiritu, profitentur. Diversa itaque, sibi que subordinata hac in Urbe sunt erecta Tribunalia, in quibus secundùm fas omne, & æquum deciduntur, & componuntur lites, præmiantur honesta facinora, delicta puniuntur: quæ omnia, quoniam Urbi nostræ ingentem addunt gloriam, brevi pennâ perstringam. Quodd si forsan non ad eum ordinem, qui cuivis competet, ea redigamus, nolumus ea in re ullum facere præjudicium, aut unum, majus altero, digniusque proclamare, sed singulorum solùm referre negotia, & publicam auctoritatem.

Tribunalia Cæsarea numerantur tria, i. Consilium Imperiale Aulicum, in quo causæ solius Romani Imperii, & quidquid ad illud pertinet, agitantur. Habet hæc Præsidem suum aliòsque non pro necessitate solùm, sed splendore quàm plurimos, qui & sapientiâ & virtute clarissimi norunt gravissimas causas discutere,

easque pro Imperii Romani Majestate, ac decencia complanare.

Alterum est Consilium Aulæ Mareschallicum, quo Cæsarei, Regii, & Archiducuales Ministri, & Officiales cum causis suis, & litibus referuntur. Tertio loco Consilium Bellicum numeratur, in quo generales, & supremi æquè, ac infimi exercitus Officiales, Militésque omnes gregarii, tam ii, qui per militare Sacramentum ducibus suis fidelitatem sponderunt, quàm ii, qui Martis experiundi gratiâ, aut Provincias visendi causâ his se aggregarunt, eorumque causæ aguntur. Accedunt Commissariatus, bellicique Commissarii, uti & Mercatores, quos vulgò *Marquetanter* appellant.

Regia Tribunalia reperiuntur bina, quorum primum Hungarica Cancellaria nominatur. Referuntur huc omnia, quæ tam superiorem, quàm inferiorem Hungariam, ac ea, quæ Regna Croatia, Dalmatiæ, Sclavoniæ, ac Transylvaniam contingunt.

Cancellaria Bohemica incorporatarum sibi præter Bohemiam Regionum, ac Provinciarum causas tractandas suscipit. Moraviæ nempe, inferioris, ac superioris Silesiæ, quo etiam utraque Lausnitiæ, cum Comitatu Glozensi, &c. reducitur.

Separatas ab his Instantias, ac Tribunalia Viennæ habet Austriæ Archiducatus, quæ idcirco Archiducalia ordinario nomine compellantur, has inter intima Cancellaria numeranda venit, quòd causæ omnes unitarum, ac Hereditarum spectant Provinciarum decidendæ, utriusque videlicet Austriæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Comitatus item Tyrolis, Alsatix, &c.

Præter has Instantia prima Regiminis est, ad quam in temporalibus etiam terna Consistoria,